



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Summarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS QUARTUS,

In quo pertractatur de corporis, animique Oblectamentis.

S U M M A R I U M.

1. Ratio Ordinis.

I.
Ratio Ordinis.



Idum superiorem librum absolveram, & ecce viii. Idus Februarias supremus Ecclesiae Rector, Assertor Fidei, Justitiae Vindex, literarum Patronus, & Decus Aetruiae nostrae immortale CLEMENS XII. ut definitum erat, naturae concessit. Universam Urbem ejus munificentia amplissimis aedificiis, Capitolino Museo, Fontium, Templorumque majestate, atque innumeris aliis vetustae, ac novae dignitatis monumentis ornatam acerbissima mors in luctum, moeroremque convertit. Parentatum illi quidem incruentis sacrorum ministrorum holocaustis, splendido funebrium pegmatum apparatu, excultis Epitaphistarum naeniis, elaborata panegyri, Purpuratorum Patrum frequentia, magno populorum conventu, universorum denique precibus, atque lacrymis: sed haec omnia neque potuerunt satis Demortui merita celebrare, neque viventium consolari dolorem. Quamob-

rem Ecclesiastica plebs optimo viduata Pastore, sanctissimoque orbata Magistro insistit quotidianis obsecrationibus, ut caelestis Sospirator, qui pollicitus est se nunquam nos orphanos derelicturum, Ecclesiae suae talem Sponsum exhibeat, in quo CLEMENTIS beneficentiam, religionem, pietatem, sollicitudinem, studiumque erga nos maximum experiamur. Nec aliquem futurum arbitror, qui aegro animo patiat inhihi hac de causa popularia Bacchanalium tripudia, & praecedentia Quadragesimale jejunium oblectamenta: in quibus licet servant nonnulli debitam moderationem, solet nihilominus multitudo, quae semel concessis abutitur, vere bacchari, modum excedere, atque insanire. Quare de his proposui festivo quodam lepidoque deferendi genere pertractare; ut nemo moleste ferat, si careat istiusmodi voluptatibus, eisque omnes utantur sobrie ac temperanter, si affluant: ii tandem qui nos patiuntur insipidos ineptosque disputatores, conditum aliquid profana eruditione delibent.

C A P U T I.

De Bacchanalium consuetudine.

S U M M A R I U M.

1. Propositio 1. de origine & usu Bacchanalium.
2. Propositio 2. probatur etiam nostra Bacchanalia non esse honesta & licita oblectamenta.

3. Propositio 3. voluptas immoderata bacchanalium non tantum Christiano, sed & rationali indigna est.

Quo